



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

De Turcicae gentis moribus & institutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

tus est. Ad quam cum uentis aduersis appellī nequiret, in Cephaleniam & Corcyram Venetorum insulas appulsus irrupit: ac prædæ tantundem abegit, quantum per insulanorum infirmitatem licuit. Hoc ipso anno legatus eius Aeneobarbus Bassa in Illyricum atq; Adriaticum innumera classe inuasit, & Castellum nouum quod oppidum est Sclauoniæ atque Albanicæ intermedium, ad Catari sinus fauces positum) post diuturnam terra mariq; obsidionem expugnauit.

AD FRANCISCVM GALLORVM

REGEM CHRISTIANISSIMVM

Christophorus Richerius.



20 Absoluta qua potui fide atque breuitate, digestaq; rerum Turcicarum historia, Rex Christianissime, decreueram prima qua; occasione illā tibi offerre. Nec ego id quidem feceram, quod hoc opusculum nostrum dignum te esse ducerem. Me certē minore ingenio doctrinaq; esse sentio, quā qui aliquid tam exacti iudicij Principe nō indignum conficere possim. Sed uitæ & officij mei rationem tibi domino & hero meo redditam uolebā. Quum autem res omnis in sex esset partes distributa, quarum prima Turcarum originem, Othomaniq; imperium: altera gentis mores & instituta: Mahummedem pseudopphetam tertia: quarta res à Tamerlane Partho gestas: quinta expugnata à Mahūmede secundo Constantinopolim: obsessum, captum, direptum Castellum nouum Dalmatiæ complecteretur ultima: statueram singulas eo quo scripsissem ordine tibi Latine simul & Gallicè exhibere. Verū sic accidit, ut historiæ nostræ liber secundus expeditior, paratior, lectuq; iucundior haberetur. Quare mutata sententiā, illum tibi initio fero. 30 Accipe quæso ut soles *ἐν μὲν ὡς καὶ προθύμως*, sicut Artaxerxes ille aquæ frigidæ poculum. Nectam leue donum, quā donantis animum metire. Res est exigua ac propē nulla: donator humilis & obscurus: tempus inopportunum. Ego tamen bonitate tua fretus & humanitate, id ausus sum facere quod uix summa nominis tui maiestas patiebatur.

Ἐλπίζοντα ὑπὲρ κύριον ἔλεος κυκλώσει.

DE MORIBVS ATQVE INSTITVTIS TVRCARVM, LIBER, II.



40 Quoniam gentis nominisq; Turcarum originem, atq; Othomanorum imperiū, qua potuimus orationis breuitate ac luce demonstrauimus: non alienum quoq; esse uidetur in præsentia de eorundem moribus institutisq; pauca dicere. Sic enim fiet, ut deinde à nobis pauciora desiderentur, qui idipsum quidem quod institueramus, plenius opinione fecerimus: utq; ijs cum aliqua etiam uoluptate satisfiat, qui haud satis ipso originis atq; imperij Turcarum libello contenti, priuatam quoq; & publicam eorum uitæ consuetudinem nosse cupiant. Ut uerō iam ad rem aggrediamur, & ab eo quod communis societatis conciliandæq; hominum inter se amicitia; longè primum seminarium est,

et incipiamus,

incipiamus, Turcis non unam esse linguam constat. Nam & sua, hoc est
 Turcica eos lingua uti, & Arabicum sermonem, atque adeo Sclauonicum
 ac Græcum sapiuscule usurpare palam est. Turcicæ uoces primum sibi lo-
 cum uendicant, ut quæ ipsis cum hominibus Turcis natæ ultro in os ueni-
 ant, & in effundenda barbarie aptiores accommodatioresque sint. Earum
 idcirco usus Imperatori, totique eius cohorti perfamiliaris. Sed eadem penè
 gloria est Arabicis, quas Turci à pueris edificere solent, cum primum sua re-
 ligione imbuuntur: legem enim Arabicè conscriptam habent, & in omni-
 bus publicis priuatisque rebus, Arabicis literis utuntur. Hominibus uitæ
 quietæ, ut Cōstantinopolitanis ciuibus, & totius Græciæ ciuitatibus Gra-
 cè loqui & scribere gentile genuinumque est. Sed latissimè omnium patet
 sermo Sclauonicus, qui quod multus in ore sit omnibus lanitzaris, ea de
 causa unicum hunc sonat uniuersa propemodum militiæ. Cumque hi ferè in
 castris degant, tecti castrensi tentorio munitiois expertes, parum tamen ce-
 teris cedunt habitandi scelicitate. Nam uniuersi humillimè habitant, & ex-
 ceptis solis principum domibus, balineis ac delubris, quorum structuram,
 quod lapidea sit, paulo excellentiorem putant: aut ligneum est, aut terreum
 eorum ædificium. Nec desunt qui rebus quietis in æstiuâ, spretis suis do-
 mibus, sponte discedant, quique in Nomadum morem certis sedibus desti-
 tuti, & soli pecoris curæ adnati, assidue uagentur, ac in omnem greges suos
 regionem, uti temporum locorumque fert natura, circumducant. Ceterum
 omnes cuiuscunque sunt status conditionisque, sumpturi cibum, aut urinam
 reddituri, aut naturam exoneraturi, aut aliud facturi quidpiam, humi se-
 dent: decorè tamen, nempe indumentis ad hoc affabrè comparatis & com-
 positis. Etenim ad celandam, siqua insit, deformitatem, talaribus uestibus
 & laxis tam sceminae quam uiri induuntur. Nec profecto ullum hominum
 genus nosse est magis uerecundum, magisque munditiæ studiosum: qui-
 pe qui ne pullos gallinaceos quidem, aut canes in suas cœnatones admit-
 tant. Quod si quid ab his fortè animantibus uel supremis labris delibatum
 sit, id protinus tanquam pabulum uenenatum abijciunt. Ab omni porro
 morticino abstinent, quod id putidum sit: & uino, quod omnium turpitu-
 dinum irritamentum: & sue, quod eo animali nullum sit immundius, suis
 laque carne uescentem contaminatum iri credunt. Quod si pullum sibi aut
 animal aliud quodpiam in epulis apponere statuant, id prius sex aut septem
 dies penes se uinctum tenent, & puriore interea cibario saginandum cu-
 rant: mensa postea etiam agrè apponitur. Quæ quidem mensa ut pluri-
 mum è glabro corio est: nisi fortè ceruinum sit. nam tum hirsutum esse,
 nec ulla ex parte depilatum, religiosum non est. Adde quod post uere-
 cundantis naturæ opus uideri à quopiam, aut cuiquam loqui nefas pu-
 tant. Neque ideo prius in publicum exeunt, quam omni ex parte laue-
 rint: eoque nomine balneas reperire est oppidatim perquam commune,
 ad quas is, quem Tschmunx uocant, lustrandus secedat. Neque est qui
 domum, aut sacrarium, aut locum, ubi sessurus sit, non depositis calceis
 ingrediatur. Nam apud eos calceatum sedere flagitium est. Utque res com-
 modius lepidiusque fiat, scandularum, quibus Batmag nomen est, usum, sceminae
 praesertim nouerunt: & uulgo locum ubi confidetur, laneis scirpe-
 is uel tegetibus, uel tabulis confertis, ad coercenda soli humidæ uitia præ-
 parant. Lege unicuique uiro licet duodecim legitimas uxores habere, & an-
 cillas quotquot libuerit, Ex quibus cum liberos susceperit, licet & eadè lege
 uernulis

uernulis tanquam liberis hæreditatem inire. Id in causa est quare potentio
 res, & quicunq; per fortunas possunt, oppidatim singulas uxores habeant,
 & ancillas & liberos. Pauci autem duas eadem in domo uxores alunt, ad
 iurgia potissimum deuitanda. Sed & uiris liberum est coniugum repudi-
 um. Vnde uinculum matrimonij, quod ipsi Kebin uocant, in potestate ui-
 ri, non uxoris, esse prædicant. Quod tamen si soluere is potest ex animi sen-
 tentia, solius tamen autoritate sacerdotis necesse consueuit: idq; ad gene-
 randam tantum sobolem, non autem ad libidinem. Libido quam sit in fœ-
 minis rara, pudor earum satis docet: utpote quæ simplicissimo habitu mi-
 10 tras capitibus imponant, tum uela superingerant: eo tantum cõsilio, ut mi-
 tra uelo diligenter deceterq; inuoluta, uersatilis eius extremitas in dextrum
 propendeat: ut si domum exire, aut domi uiro uideri contingat, (nam mu-
 lierem uxorem ore aperto in uiroꝝ conspectum uenire, & domi aut fo-
 ris patere, item forum adire, emere, uendere, & turpe & flagitiosum est) e-
 uectigio os obducant, & illud demptis oculis uirili conspectui subripiant.
 Locum idcirco in delubris longè à uiris seiunctū, atq; ita undiq; obseptum
 habent, ut nemo quispiam introspicere possit. Nec eò fœminæ omnes in-
 discriminatim, sed optimatum solummodo uxores conueniunt: necq; aliàs
 unquam nisi sacro & solenni apud eos sexto die, qui à planera Veneris no-
 20 men habet, idq; orationis tantum meridiane tempore. Cæterum fœminam
 equo insidere, monstrum est: & uirum publicè cum uxore colloqui, aut pri-
 uatim cum eadem lasciuire, ridiculum. Sed ad tantam uiroꝝ seueritatem
 accedunt Eunuchi, quos domi uiri principes abeuntes, in uxorum custo-
 diam relinquunt. Qui uirilis sexus ex talibus matrimonijs nascuntur, ij uel
 ad Imperatorem deduci, ut eius beneficio edoceantur, uel à parētibus eru-
 diri solent. Qui ad Imperatorem deducuntur (id autem ex more fit: nam
 quinto quoq; anno ipse paulo minores quàm uiginti annorum iuuenes, li-
 bertinorum præsertim filios, toto suo imperio conscribit) eos uelut Aula
 destinatos, alios alijs principibus educandos, & arma, aut artes edocendos
 30 partitur. Hoc idem de paris etatis uenalibus (quos habet innumeros, qui-
 pe cum ei præda omnis decumana sit, tum præcipue captiuorum, quorum
 suis pro decumis, quàm maximum potest numerum uenalitij imperat) fa-
 cere consueuit. Quos omnes, ut annum uigesimalium attigerunt, eos ad sese
 reuocat, & in numerum lanizarorum adscribit, adscripsitq; ara constituit.
 Quum autem huic genti scalpere aut pingere impiur est, nemo omnium
 spretis ijs artibus, durtiq; ac labori non studet, & uitam in uenationibus ac
 studijs rei militaris collocat. Itaq; si quando in ulla regni sui partem bel-
 lum senserit imminere, Imperator de habendis toto suo imperio delecti-
 bus non magnoperè laborat. Etenim datis ad prouinciã urbiumq; præ-
 40 fectos literis, quibus & necessarius militum numerus comprehendatur,
 & locus ac dies qua listi Imperatori oporteat designetur, singuli pro se pu-
 blico præconio mandata faciunt, tantundemq; militum euocant, quan-
 tum Imperatori satis est. Cum quibus uniuersis ipsi præfecti, suis quisque
 cum oppidanis ac prouincialibus, condito die & præscripto loco listun-
 tur. Quod si qui accersiti sunt, cessatores ad diem non ueniant, eorum con-
 festim impensa, quaterni aut quini substituuntur, qui cum in exercitum co-
 alluere, Eschetihori nominantur. Delectus qui à principe habentur, equi-
 tum sunt ac peditum. utrorunq; plura sunt genera. Nam, ut hos primū
 expediam, pratoria cohors fortissimorum peditum est, qui eorum lingua

Ianizari dici solent. Hi in initio quidem pauci fuere, sed nunc ad quadraginta milia excreuerunt. Imperatorem Aga duce (ita enim eum qui eiusmodi ordini praest appellatur) perpetuo circumeunt. In quibus sagittarii sunt ad quinque uel sex milia: qui quod sinistrorsum arcus suos intendunt ac remittunt, Czolaclar, hoc est sinistri populariter dicuntur. Sunt in his ducenti caeteris proceriores, & militari disciplina magis clari, qui ab equitante principe ne latum quidem pedem discedunt. his Solachi nomen est. Omnes autem Ianizari ab alijs peditibus amictu breuiore & mitris niueis acuminatis distinguuntur: item armis, quae scutum sunt & ensis, quem Cymitharram uocant, & arcus. denique officio: illi enim castra muniunt, atque oppugnationes moliuntur. Alterum genus est peditum, quos singulae prouinciae ac ciuitates, mandato Imperatoris suis sumptibus, nempe collata in singulos menstrua stipe, ad bella mittunt: Asapi nominantur: & quadraginta millium, & paulo plurium eorum est exercitus. A Ianizaris & habitu & officio discrepant. Mitris siquidem rubris, ense & scuto, & longiori hasta instruuntur: quorum quidem est hostileis equos incallescere praestitio configere. Sunt & alij qui sua sponte bellum ineunt, lixae una cum calonibus, fabri lignarij, & qui pugnantibus necessaria ministrant, uias aperiunt, abrupta loca adaequant, portes faciunt, aggeres cumulant, omnia quae expugnationibus accommodata sunt, diligenter curant. Atque haec quidem sunt Turcicorum peditum genera. Equitum uero quidam Spachi oglani, uel unico uocabulo Sphahiglani dicuntur. Hi autem omnium sunt selectissimi, & partim equitibus praefici solent, partim etiam peditibus. In his uis omnis est Turcicae militiae: legationes obeunt, & Sangiachatibus, hoc est prouincialibus praefecturis, atque id genus muneribus funguntur. Hi denique filias sorores uel Imperatoris uxores ducunt, tanquam caeteris omnibus clariores, ac de Principe benemeriti. Capite quoque ut alij mitrato sunt, & aureis sericis uel indumentis uersicoloribus utuntur. Hi numero mille, quorum est exeuntem urbe principem dextra comitari. Laeuam uero mille alij equites cingunt, Solastri siue Solupharti appellati: quorum eadem omnino est cum Spahilagnis & uita, & nobilitatis, & uestium, atque armorum ratio. his adherent alij quoque mille equites Vlufagi, conflati partim ex Ianizaris egregio aliquo facinore nobilitatis, partim etiam ex seruis de Bassa aut Belerbozo pugna aliqua benemeritis, ut qui fidelem his promptamque operam periculo imminente praestiterint. Post hos Charippici, pari numero & conditione, nisi quod hi leui sunt armatura. Ex his equitum peditumque generibus porta Principis constat. Sed alij sunt equitum ordines sub Belerbegis, Subalij ac Timoriotes, seu Thimarcini. hi sunt, qui pro numero uillarum, aut locorum quae Turcae principis mandato possident, ab his agente id consuetudine aluntur, ac trium Asporum milium, hoc est ducentorum quinquaginta stipendium in singulos annos capiunt. Alij sunt Mozellini, lecti ab his quibus olim Turcarum Imperatores acquisitos bello agros diuiserunt. Sunt & Alcanzi, siue ut quibusdam placet, Aconizij, hoc est fatales, seu Fortunae milites, ad triginta fere milia. Militant nullo stipendio, sed unis semper aut binis castris reliquas copias antecedentes excurrunt praedabundi, & quintam praedae partem ad Imperatorem manubiarum nomine deferunt. Omnes autem eiusmodi copiae in duos exercitus diuiduntur. Europeum atque Asiaticum. His praesunt Belerbegi, hoc est praefecti praefectorum, seu principum principes. Qui quidem numero duo sunt, quorum

quorum hic Asiae praest, ille Europae. Alter legatus Imperatoris in Anatolia, Cuthaia, quae urbs Galatiae est, sedem habet: alter in Rhomania, Sophiae, quae in Seruia est, habitat. Vterque plures sub se Sangiachus tenet, & Sangiachus, hoc est prouinciarum praefectis, qui ad eum magistratum facto aliquo eximio assumuntur, mandata dat. Sangiachi uero Subasij, de quibus supra, quod lubet, praecipunt. Bassarum Visirorū alia sunt partes. nam Imperatori consilia suggerunt, & cum ijs ipse de negotijs belli ac pacis agere consuevit. Plures tribus aut quatuor esse non solent, & bellum quoque ij aliquando moluntur. Huic militiae nullus est uexillorum

1^o usus. Verum ipsi duces atque praefecti castrorum, quos Zumbasthos uocant, lanceam proferunt in summo appensos certi coloris pilos habentem: quod signum, qui sub eorum praefectura sunt, perpetuo sequuntur. Si quando uel coeundum sit, uel discedendum, uel in aciem prodeundum, tympano ac fistula copiae conuocantur, concitanturque. Alioqui silentij Turcae adeo sunt studiosi, ut nemo omnium nisi in castris armetur, & captiuos noctu elabi facile atque effugere patiantur, ne quem praeter morem tumultum in persequendis rapiendis ue fugitiuis excitent. Qui praefectis castrorum subsunt Centuriones, Tischeribaschi uocantur, singuli centenis Czingheris, hoc est centum equitibus aut peditibus praesunt. Nemo est omnium

2^o qui non se quasi bello natum uita ac factis comprobet. Eaque de causa, quando nomina referunt in album, si qui domi relicti sint, maximam sibi factam esse iniuriam putant. tantus est militiae honos. Nulla est concio, nullus hominum confellus, nulla conuiuia, in quibus non pro ijs qui militant, preces dicantur: multo autem religiosius pro ijs deos sollicitant, qui pro salute communi mortem oppetuerunt. Foelices itaque apud eos, qui foris inter hastas sagittasque hostium, non domi inter foeminarum lacrymas occubere. Nulla ijs acceptior praeda captiuus est. nimirum in ea sunt opinione, neminem qui seruum possideat, ulla unquam inopia laboraturum. Eaque de causa, bello captos summa diligentia conseruant, non humanitatis quidem qua moueantur, sed utilitatis tantum gratia, siquam sibi ex seruis factis haud mediocrem fore prospiciunt. Nimirum isti nationi seruos habere mori ueteri, uendere, & emere perquam familiare est. Atque eius commercij nomine, oppidatim designantur uenalitij magnis cum priuilegijs, qui in eam tantum curam incumbunt, ut eiusmodi hominum copiam comparent, uenudent, commutent, pignerentur, prout cuiusque libido est atque usus, nullo interim fortunarum suarum publici ue boni detrimeto. In eam quoque rem passim fora sunt constituta, in quae uenales deducti, nudi licitatoribus ostenduntur. Quorum tam uirilis sexus quam foeminini membra, etiam pudenda, conrectare emptoribus licet: hinc scilicet ut praesentiant,

4^o iuuenes ue sint an affecta iam aetate, uirgines an corrupti, sani an ualitudinarij. Quod si empti diffugiant, onus seruitutis duplo maius quam antea, receptis imponitur. Tum si secundo peccent, uirgis aut securi eos cadere, aut cibo ac potu interdiceret ad mortem poena est. Maior ijs cautio, qui pro retinendis seruis spem libertatis aliquam proponunt. Quam semel polliciti, dubium non est quin praesent. nam tanta est istis hominibus dictorum constantia, tanta etiam de fide suorum securitas, ut in conuentis nulla unquam syngrapha, nulla obsignatione, nullo chirographo utantur: sed solo promittentis uerbo, uel ipsa nominis eius qui paciscitur auditione stent omnia. Ea autem lege serui a dominis manumittunt, ne ad suos manumissi,

aut ad alios exeant, sed in Turcæ ditione perpetuò morentur. Quod factum puto, cum ob maiorē clientelam, tum ob religionis Mahummedæ incrementum. Cuius quàm seueri obseruatores sint, & quid sibi nobisq; futurum credant, iam nunc dicam. Hoc uulgò ad populum concionantur, fuisse olim nobilem prophetam Missah, hoc est Mosem, qui primus diuinitus legem tulit: & librum Tefrit, quem Græci Pentateuchum appellant, condidit. Quo quidem diuino beneficio, seruatu fuisse prædicant omnem eius tempestatis hominem. Verum sacrilegus hominum furor, cum eiusmodi legem antiquasset, in tantæ expiationem flagitij, designatum asseuerant propheten alterum Dajit, hoc est Dauid, qui pariter librum scripsit Czabur, hoc est Psalterium, & legem similis prerogatiuæ imposuit. Sed eius sanctione humano scelere flexu ætatis labefactata, tertius successit propheta Iesse, id est IESVS CHRISTVS cum lege supernè accepta, & libro Vigilis, hoc est cum Euangelio, in communem omnium salutem. Atqui dissipata abrogataq; eius lege, denuò misertum est hominum, & legatus huc missus Mahummedes propheta quartus, pari cum superioribus priuilegio, nempe qui quartam legem cum libro Alcorano cõstituit. Quæ perfidia humana perrupta, alium quoq; uenturum existimant. Prima Mahummedæ legis præcepta sunt, omnem utriusq; sexus hominē nubilitate te matrimonium contrahere oportere, & singulos quinq; orare quotidie, designatis ad hoc quinq; temporum differentijs. Orationis primæ sol oriens eos admonet. Ea sit ualde superstitiosè, nempe per quatuor Erket, & duo Czalamat. Erket uocant geminatam corporis inclinationem cum totidem prostrationibus. Czalamat uerò ipsa est tacita oratio, quam fundit supplex sedendo post singula Erket, cum salutatione dextra læuaq; & pacis impressione, quam designat ambabus manibus os obducentibus. Altera sub meridiem celebratur per decem Erket & quinq; Czalamat. Tertia declinante iam sole, per octo Erket & quatuor Czalamat. Quarta sub occasum solis, per quinq; Erket & quatuor Czalamat. A cœna ultima, ea serò fit, per quindecim Erket & octo Czalamat. Prima, lingua eorum Dangananias dicitur, secunda Orlenanias, tertia Kindinianas, quarta Achfamanias, quinta Laczinanias. Eas orationes lege coguntur singuli cum tribuli suo, in Meskita, hoc est fano communi facere, nisi legitime impediuntur. Cum prohibet negotium, ubiuis locorum orare licet. Et eandem tempus orandi ueniã habet, ut scilicet hora intempestiua suppleri possit, quod legitima fuerat intermissum. Religiosius orant Veneris die, apud illos reliquis celebriore. Sunt tamen profesti omnes dies, nec ab opere ullo abstinetur. In singulis ciuitatibus fanum aliquod princeps est quod ipsi Eue mesgit uocant: quò dicto die uniuersi conueniunt: ipse quoque Imperator unã cum alijs adest, & uiri cæteri principes. Oratur meridie, ac statim orationem sequitur publica quædam concio, largitionisq; imperatoris liberalitas. Censores habent qui neglectæ orationis insimulatos pluribus supplicijs afficiant, eos enim per oppidum trahunt, appensa collo tabella & caudis uulpinis. ad hæc pecunia mulctant. Id autẽ præcipue fieri solet, neglecta uerno ieiunio oratione. Lauari triplici modo solent antequam orant. Aut enim aqua integrum corpus perfundunt, & quicquid in eo pilorum est, excepta in uiris barba, & coma in fœminis, corradunt. Præsecant etiam pedum ac manuum ungues diligentissimè, & ea fortasse ratione circunciduntur. Hæc autem lotio est post quacuncq; maculæ contractionem necessaria,

necessaria, & dicitur ab illis Czoagermeg. Aut secretiore loco pudēda & podicem abluunt, sitq; cum opus aliquod naturæ fecerunt. uocatur ea lotio Tachriat. Aut quinq; sensus aqua purgant, manus ad cubitum usq; os, nares, aures, pedes, crura & tibias, eo quo dictum est ordine. Et eam lotionis formam Auptas siue Abdas dicunt. Hanc autem facere ubiq; licitū est: nec tamen necesse est ut omnem orationem præcedat, nisi id labes aliqua uitiat corporis efflagitet. Verū si à prima oratione ab omni uitio abstinetur, eadem die nulla repetenda lotio est. Luna annum metiuntur. Et ut lunam unam pro mense, sic duodecim lunas pro anno numerant. Sed per
 10 lunam unam quotannis ieiunio perfunguntur. Atq; interdū quidem, ab omni cibo & potu sibi temperāt: noctū uerò perbacchari, laudabile est. Absoluto ieiuniorū tempore statim feriā, hoc est Pascha unum in memoriam illius arietis, qui inopinanti Abrahamo in uictimā loco filij obiectus est: noctis porrò eius qua Alcoranū coelo ad se missum prædicant, celebrare cōsueuerunt, sepulchris mortuorū inuisendis, fundendis ad ea orationibus, cōsumendis ibidem cibis quotquot secum attulerint. Mutuis demum datis osculis in hæc uerba prorumpunt, Baaram Glutioczong, hoc est, sit tibi hoc Pascha faustum ac scēlix. Iterum sexagesimo postea die pari omnino superstitione feriantur. Eius alterius feriæ causa est annuus peregrinorum aduentus in locum qui ab alijs Mecca, ab eis Mekire dicitur, ubi sepultum ferunt Mahummedem, trans Hierosolymā sexagenorum dierum itinere. Quò perueniri nequit, nisi camelis in id à Sultano ad transmittendas arenas dispositis. Qui hoc iter peregerunt, uocantur uulgo Hatschilai, & multis præmijs exornantur. Etenim honorificè ab omnibus excipi, ac in testimonijs dicendis trium testium loco haberi solent. Haud secus pro ijs atq; pro uictoribus oratur, & eorum causa constituta sunt duo xenodochiorum genera. Vnum cui nomen est Zeuuennezerei, edificium ingens in solitudinibus, quò ipsi uiatores receperunt. Alterum in oppidis est Hy marath, magna templi moles ab regibus posita, & multis feracibusq; prædijs dotata, ad quotidie cibo recreandos quicumq; aduenerint, peregrinos præcipuè ac literarum studiosos. Quibus relictis, mos est animæ edificatoris bene precari, & interim reliquum in commune distribuere: sitq; hoc prandij & cœnæ tempore. Sunt & frequentia Turcis gymnasia in quibus placita regia, atq; edicta quæ pro regno administrando sunt, edocentur. Qui ea didicerunt, duplici gradu magistratibus præfici consueuerunt. Magisteratus inferiores Munetschim, superiores Muderis dicti. Qui disciplinam minus tenent, Tausmani appellantur: quibus quidem Alcoranum, ac cæremonias quæ ad cultū legis pertinent didicisse satis est. si sacerdotes sunt, qui à uulgo nihil differunt. Dant nimirum ipsi operam uxoribus, liberis,
 30 familiæ, negotiationi, usuræ, uenationi. Plurimi sunt Turcarum qui uota suscipiunt. Quidam austeram uitam uouent: & hi omni tempore nudi, celatis tantum pudendis incedunt. Alij uictus abstinentiā: qui rarissime cibo ac potu fruuntur. Alij paupertatem sequuntur ex uoto: his in diem uiuere satis est. Alij perpetuum silentium seruant: hi nomine mutorum Czamutlar uocantur. Seorsum alij à populo ducunt dies. Quibusdā nemora & solitudines placent. Alijs hospites in suas domos, quæ Tekie dicuntur, oppidatim excipere religiosum. Quidā mendicitate continua uicitant. Alij in oppida gelidam recentemq; aquam important, petentibus nulla mercede impartiuntur. Quòd siquid gratuito offeratur, haud recusant. Alij ad
 40

sanctuaria inhabitant tanquam uigiles, & uoluntarijs populi donis rescipiuntur. Quidam sunt quibus Nefles Oglî nomen est. Eos rumor est sine uirili semine conceptos ac natos. Sacerdotes ferari sapius solent, nunc ut uota populi reddant, nunc maiorum memoriâ ut renouent, aliquando communi necessitate adducti, ad imbres impetrandos, aut serenitatem aëris precibus obtinendam. Ad has ferias conuenit omnis uicinia, & epulatur. Tum musicus sumpto incussoq; tympano modulari incipit. Cæteri sequuti singillatim choreas ducere. Fera illis Machia dicitur, & ludus Czamach, qui fit saltatione & tripudio, & decora atq; ad motus accommodata membrorum omnium agitatione. Ad hæc sub finem circulari motu, & uelocissima totius corporis reuolutione: in quo, uis ipsa ludi consistit. Vbi uerò ludum singuli luserunt, tum uniuersi coire, & promiscuè colludere: quibusdam interim precum uocibus editis, pro salute eorum qui uota hæc nuncupauerunt, seu liberales domos ac uiatice sunt impartiti. Vtuntur & cationibus rhythmicis: idq; uicissim efficiunt, ut scilicet quod unus dixerit, alij repetant. Habent etiâ quos à morte diuos factos putent. Quorum omnium facile princeps est Sedichasi, quem uictorem fas est interpretari. Sepulchrum eius Othomani ac Caramani finibus intermedium est, numenq; inuocari solet omni bellica expeditione. Tum Harschi pettesch, peregrinationis subsidium, peregrinis in honore est. Tertio loco est Askik passa, id est patronus amoris, sumpto ab amore nomine. coniugio præest, partus difficultati, habendæ etiam prolis desiderio, uiri ac foeminae sedandæ discordiæ. Van passa dissidentes animos lenit. Scheich passa perturbatis & tristibus solatio est. Deniq; alij sunt, Gotuelmirtschin, & Barschin passa, qui ambo pecoris custodiæ præfunt, atq; cõseruationi. Et Chiridelles, qui necessitate affectis uiatoribus opitulatur. Apparet is, ut rumor est, uiatori simillimus, equo glauco inequitans: inuocatus citissime adest. Quòd si nomen ignoretur, ad Dei implorationem etiam præsto est. Sacerdotum quatuor sunt genera. Quidam uelut gubernacula tenent populi, sacrisq; dignitatibus præfunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Inserunt opinionem, neminè unquam nisi Mahummedis lege seruatum iri. Alij sunt quos uulgò Dernischer uocant. Hi autumant legem nihil prodesse, sed gratiam Dei tantum, qua necesse sit omnem hominem seruari, quæ sine lege & merito satis ad salutem multa est. Eam ipsi Rachmatallach dicunt. Tertium genus est eorum qui Czofillar, id est contemplantes appellantur. his persuasum est unumquenq; debere merito seruari: meritum ad salutem satis esse, etiam sine gratia aut lege. hanc ipsi opinionem Pereketallech uocant. Postremum genus est eorum qui Horise appellantur, id est factiosi. Hi docent unumquenq; lege quam teneat seruatum iri, & unicuiq; genti seu nationi legem latam esse à Deo qua cœlum mereri debeat: & æqualiter omnes leges utiles esse ijs qui eas seuerè, diligenter, & inuiolatè obseruarint, nec ullâ alteri esse præferendam. Animaduerti in hos solet acerbissimè, ut in factiosos omnium perditissimos. comprehensi incendio tolluntur. Turcæ furtum in primis acerbè puniunt, homicidium supplicio graui expiant, in cætera negligentius animaduertunt. Commentantur fabulanturq; multa de Antichristo, quem Tetschel uocant. Ad ultimum tamen Mahummedem suum uniuersos, cuiuscunq; sint uel sectæ, uel religionis, post diem diuini iudicij, ab inferis reuocaturum arbitrantur.

Mahummedes